

Rome, 22 février 1602.

Illustrissime Domine Comes. Literae ad initium hujus anni ab Illustrissima D.V. ad me datae magnam mihi laetitiae materiam attulerunt. Nihil enim iucundius audio, quam fidem catholicam reviviscere, ubi planè exaruerat. Ago igitur Deo nostro gratias, quòd Illustrissimam personam vestram hoc tempore eligere dignatus sit, per quam et patriae iam prope desperatae initium salutis adferret, et nobis spirituale gaudium tantopere cumularet. Video enim in Illustrissima D.V. fidei non fictae, et sinceræ charitatis in Deum, et quod rarum in principibus esse solet, christianæ humilitatis tam solidum fundamentum; ut omnino sperem Illustrissimum Dominum Ioan-

10 nem non solum comitem, sicuti iam est, sed etiam quasi alterum Frisiae Orientalis Apostolum futurum; quæ gloria longe antecellit omni regiae vel imperatoriae dignitati.

Quod attinet ad causas in aula Caesaris, scribet Summus Pontifex tum ad ipsum Caesarem, tum ad Nuncium suum Apostolicum, atque utrique negocia Illustrissimæ D.V. diligentissimè commendabit. Ego quoque ad eundem Nuncium scribam, quoniam magna mihi cum eo necessitudo intercedit, et sine dubio cordi illi erunt quaecunque nomine vestro illi suggerentur. Precor Dominum Deum nostrum, ut spiritum suum sanctum, quem in corde Illustrissimæ D.V. et in corde Illustrissimæ coniugis vestrae tam vehementer accendit, alat quotidie, et augeat magis ac magis, ut nulla ventorum aut imbrium mundanarum persecutionum vi restingui possit. A vestra autem Illustrissima D. V. peto, ut me sibi addictissimum esse sciat, et si qua in re

20 opera mea indiguerit, liberrime scribat; nam vel rem ipsam, vel certe bonam voluntatem semper inveniet. Datum Romae die 22 februarii 1602.

D. Comes Frisiae Orientalis.

[ F.B.5, f.134. Minute autogr. Fuligatti, Epp.famil.XX. ]